meriaqros.

De nouo nunc loquor testamento quod grecum esse non
dubium est excepto apto matthaeo qui primus in iudaea
euangelium xpi hebraicis litteris edidit. Hoc certe cum in
nro sermone discordat et diuersos riuolorum tramites
ducit; uno de fonte quaerendus est. Praetermitto eos
codices quos a luciano et esichio nuncupatos paucorum
hominum asserit peruersa contentio; quibus utique nec
in ueteri instrumento post septuaginta interpretes
emendare quid licuit nec in nouo profuit emendasse.
cum multarum gentium linguis scriptura ante translata
doceat falsa esse quae addita sunt. Igitur haec praesens
praefatiuncula pollicetur quattuor tantum euan
gelia quorum ordo iste est, Matheus marcus lucas
iohannes codicum grecorum emendata conlatione.
sed ueterum quae ne multum a lectionis latinae consue
tudine discreparent. Ita calamo imperauimus ut his
tantum quae sensum uidebantur mutare correctis
reliqua manere pateremur ut fuerant. Canones quoque
quos eusebius cesariensis episcopus alexandrinum secutus
ammonium in decem numeros ordinauit sicut in greco
habentur expressimus. quod si quis de curiosis nosse uolue
rit quae in euangeliis uel eadem uel uicina uel sola sint
eorum distinctione cognoscat. Magnus siquidem hic
in nostris codicibus error inoleuit dum quod in eadem re
alius euangelista plus dixit in alio quia minus putauerint
addiderunt, uel dum eundem sensum alius aliter ex
pressit ille qui unum e quattuor primum legerat.